



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 12. Res Albigensium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

que Romano convocatis, Deo gratias Sæcul. XIII.
 dixit, Regisque Castiliæ Epistolam reci A. C. 1212.
 tari iussit, quam ore proprio ex Latino
 in Italicum sermonem vertens explica-
 vit, tum orationem ad universos tantæ
 lætitiæ accommodavit. Id enim sua Epi-
 stola, die vigesima sexta Octobris anno
 millesimo ducentesimo duodecimo data,
 testatum facit.

§. XII.

Res Albigensium.

Belli contra Albigenses in Occitania Hist. Albig.
 necdum finis; sed diverso tempore c. 63.
 multæ urbes obsidione premebantur.
 Guido Episcopus Carcassonensis, antea
 Abbas Vallium Sernacensium, suscepto
 post abitum Legati, Archiepiscopi Nar-
 bonensis, imperio militari, bellum labo-
 re incredibili urgebat, ita ut somni ci-
 bique capiendi oblivisceretur. Com-
 plures alii Præsules huic sacrae Expedi-
 tioni, quæ Jesu Christi causa dicebatur,
 intererant, atque præter alios Robertus
 Archiepiscopus Rotomagensis, Robertus
 Episcopus electus Laudunensis, Guiliel-
 mus Archiepiscopus Remensis, qui in ob-
 sidione Mosliaci oppidi militavit, Episco-
 pi Tulensis & Albigensis, Guilielmus
 Archidiaconus Parisiensis, qui Episcopa-
 tum Bliterrensem recusaverat, ac com-
 plures Abbates.

Mense

Sæcul. XIII.

A. C. 1212.

to. II. Conc.

p. 50.

Mense Novembri eodem anno millesimo ducentesimo duodecimo Simon Comes Montfortius, omnibus Episcopis ac viris nobilibus illius provinciæ ditionisque suæ Apamias convocatis, Comitia celebrare, & leges edere constituit, quibus consuleretur Religioni, pax reduceretur, & corrupti mores emenderentur. Quippe jam diu Regio illa latrociniis infestabatur, potentioribus inferiores opprimentibus. Cupiebat ergo Comes Optimatibus limites ponere, quibus eorum potestas coerceretur. Nobiles suis censibus contenti viverent, plebs sub eorum præsidio suis quiete frueretur, & exactionibus continuis ad extremam egestatem non redigeretur. Ad condendas has constitutiones Mandatarum duodecim delecti sunt, Episcopi duo, Tolosanus & Consuranensis, Templarius unus, unusque Hospitalarius, viri Equestris Ordinis Franci quatuor, indigenæ quatuor, nempe Equestris duo, ac duo cives. Quæ deinde Statuta seu Consuetudines conscriptas, & omnium Episcoporum præsentium annulo munitas, Comes cum omnibus Vassallis suis servaturum se, juravit.

§. XIII.

Innoc. XIV.
ep. 97.*Sedes Constantinopolitana vacans.*

Thoma Morosino Patriarcha Latino

Con: